

Dubl. no. Fe 996^a


Ex Fisco


De

Bibliotheca nostra Scholast:
hac Analecta
coemta sunt.

Martisburgi 1751.

Ph. 201.





4
JESUS!

* * *

M. BENEDICTI HOPFFERI,
Academiæ Tubing. quondam P.P.
Ord. longè celeberrimi,
EPISTOLARUM
BIGA,

De felicissimè cum concreditis suis PRINCIPB.
WÜRTEMBERGICIS vorè serenis ac summè emi-
nentibus peractâ PEREGRINATIONE,
eaqve

ad Amicum quendam Consanguineum,
G. np. M. K. PP. A. & A. B.
amicissimè scripta,

et tandem lubentissimè quoque communicata
cum

JO. FRIDERICO HEKELIO,

Qvi,

instante multorum Litteratorum
petitu, ideò, quòd in DAUMIANIS ad se
Latinè datis litteris,

GLEICHIANA curâ

nunc publicæ luci donatis, p. 44. illius facta
est mentio, sumptibus suis eandem
jussit imprimi.

LIPSIÆ ET DRESDÆ,
Ap. CHRISTOPH. HEKELIUM,
AÐ. CHRI. M. DC. XCVII.

174
M. B. MEDICUS
ACADEMIAE
EPISTOLARUM
BIOGRAPHIA

DE FIDE...
ACADEMIAE...
D. G. P. M. R. A. & A. B.

IO. FRIEDRICH HARTMANN
OVI
INSTITUTIONUM...
GEOGRAPHIA...
HIC PUBLICUM...

LIPSIÆ ET BEROLINÆ
CHRISTOPH. HARTMANN
AD CUR. N. G. X. 1740

VIRIS

Max. Reverendis, Excellentissimis, Amplissimis & Pre-Clarissimis,

DN. M. JO. GOTTFREDO OLEARIO, Ecclesie Arnstadiensis Antistiti, Vicinarumque Superintendenti splendidissimo, Illustrissimi Consistorii Schwarzburgici Assessori atque Scholarchæ maximè conspicuo, &c. &c.

DN. M. DAVID SCHINDLERO, ad Div. Mariæ, quod Lignicii in Silesia sub dextra JEHOVÆ egregiè floret, Antistiti gravissimo, & venerandi Ministerii Seniori spectatissimo, &c. &c.

DN. JOANNI FALCONI, Templi Cathariniani Gedanensis Archi-Diaco-
no vigilantissimo, &c.

DN. M. SAMUELI SCHMIDIO, illustris Quedléi Rectori celebratissimo, &c.

DN. M. GOTTFREDO WEBERO, incluti Gymnasii Berolinensis Rectori optumè ac excellenter merito, &c.

DN. M. SAMUELI RODIGAST, ejusdem Gymnasii Con-Rectori dexterrimo, &c.

DN. M. ADAMO ERDM. MIRO, clarissimi Sittaviensis Con-Rectori fidelissimo, &c.

Dominis, Patronis, Evergetis, Factoribus ac Amicis meis perpetuò venerandis atque colendis,

BINAS HAS EPISTOLAS,
easque
à B. DN. AUTORE,
cum humanissime scripto EPISTO-
LIO GERMANICO,
atque transmissio multarum Charta-
rum fasciculo,
mecum olim communicatas,
hanc ob causam,
quod partim multa variæ Beneficen-
tiæ Documenta ab hac singulari at-
que amabili THEOLOGORUM atq; PHI-
LOLOGORUM omnino celebrium ac
maximè præstantium PLEIADE
persæpe mihi data;
partim unus & alter Libellus ab uno
atque altero ex VIRIS istis clarissi-
mis, singularis amoris ductu,
est inscriptus,
cum sincerissimo
*omnigenæ Felicitatis, Prosperitatis
ac Vitæ proluxæ Voto*
Q. D.
inscribere ac consecrare
volens debui
EDITOR.

AMI-



AMICUS AMICO.

EX peregrinatione fructus me
retulisse non contemnendos, lubens
fateor; Majores tamen facturus eram,
nisi labore officii me sibi totum subinde po-
stulassent. Non enim satis erat curam ani-
marum gerere habendis Concionibus, audi-
endisqve Confessionibus; &c. Sed & Stu-
diorum illustrium pensum absolvendum fuit;
Neqve Secretarii titulus nullam dederat ne-
gotiis accessionem. Unde factum, ut me-
diocris sit numerus Virorum doctorum, qui-
bus innotescere licuit. In Helvetiâ, quæ
patriâ egressos primum excepit, duobus po-
tissimum conversatus sum Theologis *Heideg-
gero & Turretino*, illi Tigurino, huic Genevensi
(Genevam enim Helvetiis ob propinquitatem
accenses) Professori. Viri sunt eruditio-
nis famâ, inter suos præsertim, valdè celebres.
Dum Geneva nos habebat, *ὀψοπαξίς* fuit inter
Theologos, tribus eorum, *Tronchino, Mestrezza-
tio, &c.* ut discipulis *Mos. Amyraldi*; Gratiam
Universalem etiam pro concione tuentibus,
reliquis, & in his *Turretino*, renitentibus.
Lugduni præter Collegiâ *Ordinum Religios.* ac
imprimis *Jesuitarum*, qui gaudent instructis-

Sima Bibliotheca, nullos vidi Literatorum,
 nisi nobilem quendam huc placeat referre,
Dn. Servier, cujus Pinacotheca (Galli vocant
 Le Cabinet des curiositez) reliquis omni-
 bus, quas plures vidi, facile preferenda, non
 aliis rebus est referta, quam manu factis, sed
 ha ipse artificem arguunt, qui *Seruerius* est,
 penitissima naturalium Operationum cog-
 nitione praecellentem tot stupenda nobis exhi-
 buit Antipathias & Sympathias experimenta,
 Ut de variis Instrumentis automaticis, belli-
 cis &c. dicere praetermittam. Salmurium,
 ubi *Huguenottis* est Academia, celebrem suam
Amiralum nostro tempore jam amiserat.
Lud. Capelli filius Professionem habet Linguae
 S. sed non eam nominis famam, quam Pater. At
Tanagvill. Faber, Graecae Ling. Profess., inter
 Graecae Doctos praecipuis tunc in Gallia an-
 numerabatur. Quid Scriptorum ab illo pro-
 dierit, forte jam tibi constat. E Graecis re-
 censuit *AELIANUM de variis Hist.* *LONGINUM* de
 sublimi Dicendi Genere, *LUCIANI* Dialogos,
 &c. E Latinis *LUCRETIVM*, *PHEDRUM*, alios.
 Extant & Epistolarum ejus aliquot partes, in
 quibus multa Veterum Autt. Loca emen-
 dantur & illustrantur. Quae libertas in E-
 jus scriptis, eandem & in familiari vitae con-
 suetudine ostendit, salibus & leporibus nun-
 quam vacuus. Fatis concessisse non ita pri-
 dem e Belgio quidam amicorum ad me per-
 scripsit. In reliquis Galliae civitatibus, quae
 ali-

✿ 7 ✿

Hæcujus sunt nominis, perpaucos compella-
 vi, nec nisi in transitu. Properandum enim
 plerumqve fuit, & loca publica cum Princi-
 pibus adeunda. Parisiis præ cæteris facilem
 mihi dedit accessum *Justellus*, Christophori
 Filius, cujus in ædibus crebri fuere Litera-
 torum congressus. Vir sanè doctissimus,
 qui præter studia naturalium Rerum etiam
 Historiæ & Antiquitatum, in primis Ecclesia-
 sticæ solertissimus est indagator, egregiamq;
 posuit operam in Editione Juris Canonici
 Græcorum, consuetudine Germanorum, si
 qui gustum habent melioris Literaturæ, mul-
 tum delectatur. *Agid. Ménagium*, quem
 præter alia clarum nuper fecit Editio *Diog.
 Laërtii* cum Notis, semel tantum adii, multi-
 plicisque benevolentia significatione ab eo
 sum dimissus. *Ismaël Bulliandum* in ædibus *Ju-
 stelli* compellavi, qui de nuperis Gallia lu-
 minibus, Fratibus *Puteanis*, *Peirescio*, *Sirmon-
 do*, *Petavio*, *Gassendo*, *Naudeo*, *Tristano*, *Petito*,
Fabrotto, *Rigaltio*, &c. Solus ferè superest
 cum duobus *Valesiis*, *Henrico* & *Adriano*. E
 Sorbonicis Doctoribus singulari me perse-
 cutus est humanitate *Claud. Capellanus*, Sanctæ
 Lingvæ Professor. Hactenus etiam me lite-
 ris dignatus. *P. Cambesius* Ord. Præd. Mona-
 chus, continuando corpori Historiæ Byzan-
 tinæ nunc infudat, & in specie quidem, ut
 mihi narrabat, *Constantini Porphyrogeniti*,
Pfelli, aliorumqve Scripta Historica singulis

quæque publicare voluminibus meditatur. *Vansebius*, Thuringus, quidam, nostræ religionis adhuc est, *Lexicon Æthiopicum Ludolfedendum* in Angliâ curabat. Conspectum Operum Æthiop. quæ MSS. secum ex Ægypto attulerat, Regis Ministro COLBERTO typis editum exhibuit, quo eum obtestatur, ut Æthiopicos typos Regis sumptibus instaurandos promoveat, quibus illa MSS. possint excudi. Sed antequam hoc negotium effectum consequeretur, *Vansebius* de novo fuit missus in Ægyptum, jussusque quantumcumque posset librorum Orientalium copiam conquirere, & iisdem Regiam Bibliothecam locupletare. Hic aliquoties mihi Parisiis adfuit, & jam in procinctu constitutus, fidem sponte dedit, se, quamprimum liceret, de successu negotiationis suæ ad me relaturum. Verum hætenus nihil quicquam innotuit. In Angliâ non integrum mensem exegimus, cujus magna pars visendis Operibus publicis, & inprimis Aulae Regiæ fuit insumpta. Ex amicis, quos acquisivi, præcipuus est Dn. Oldenburgius, Bremensis, Regiæ Societatis Secretarius, cujus ex editis Actis Philosophicis, curiosâ Rerum Naturalium investigatione plenissimis, celebris est fama. Oxonii Thom. Hyde, Universitatis Bibliothecarius, nihil officiorum ad me devinciendum prætermisit, quod Anglis aliis non adeo frequens. Ab Ed. Pocockio
per-

perbenignè fui exceptus, cujus rarissimis
 MSS. Arabicis instructa est Bibliotheca. A-
 rabis cujusdam Philosophicum Scriptum
 prelo tum mandaverat, cujus aliquot chartas
 à prelo recentes & ad corrigendum illatas,
 penes ipsum conspexi. Fatis interea con-
 cessisse, fama tulit. Optassem, ut & reliquos,
 qui dignitatem Orientalis Literaturæ in An-
 glia nunc sustentant, & Oxonii quidem *An-
 ton. Bernardum*, Cantabrigiæ *Edm. Castellum*,
Ligtfogium, *Spencerum*, *Scherinphanium*, &c.
 alibi *Beveregium*, aliosque compellere licu-
 isset. Sed res non erat mei arbitrii, neque
 Cantabrigiam unquam accessimus. Canter-
 burii vix semihorula nobis transacta, vano
 gaudio, quod coeperam ex spe videndi *Me-
 rici Casauboni*, Viri plus quam octuagenarii.
 In Belgio Hispanico, præsertim Brugis, Gan-
 davi, Bruxellis, & Antverpiæ Munimenta,
 tantum, Armamentaria, Tempa lustravimus,
 nec non Collegia, & Bibliothecas Jesuita-
 rum, idque satis festinanter. Belgium ve-
 rò Foederatum diuturniorem nobis præstitit
 moram, potissimum Ultrajectum, ubi trime-
 stre circiter morati sumus. Familiariter hic
 usus sum Professore quòdam, Numburgò
 Saxoniz oriundo, *Job. Georg. Grævio*, cujus in-
 edendò Hesiodò, Ausoniò, Svetoniò, cura
 fuit insignis, quiqve Ciceronem integrum
 ex MSS. emendatum, & Notis illustratum,
 cum aliis ad Philologiam spectantibus, suo

tempore luci dabit, quâ in re multum juvatur ab eruditis Italia, Gallia, &c. literarum, quas invicem mittunt, assiduitate. In postremis suis ad me scribit, se ab Electore Palatino in Heidelbergensem Academiam invitari, sed nondum sibi constitutum, movere velit, nec ne, quod etiam illi tractui impetus belli videatur impendere. Inter Theologos illius loci, & fortè totius Belgii ætate maximè provecus est *Gisbertus Voëtius*, ex iis, qui Dordracenæ Synodo adfuerunt, solus nunc superstes, cui semel tantum sum locutus. Lugduni Bat. ante sesquiannum adhuc in vivis erat *Frid. Gronovius*, cujus & in privatis aliquot congressibus, & quos publicè de Cathedrâ habuit in Tacitum, Discursus pronis auribus accepi. In defuncti locum filius *Jacobus*, qui Polybium edidit, succedet, simul atque redierit ex Hispaniâ, quò ad excutiendum Eboracensem Bibliothecam concessit. In quâdam librorum, ut vocant, auctione Lugdun. Rabbinum vidi *Coben de Lara*, qui domicilium habet Amstelodami, & post extinctum *Manass. Ben. Israel*, præcipuè nunc apud illos est existimationis, cumque eo varios habui sermones. *Nicol. Heinsius*, quem Hagæ Comit. accessi, ex Sveciâ & Moscovia redux, pedibus vehementer laborare cœpit, quâ ægritudine, nisi nimium dejiciatur, plures expectare poterit literatus Orbis elegantis ingenii foetus. *Ibidem.*

FRANC.

Frans. Junius, octuagenariō major, perfacilem se mihi præbuit atque obvium aditum, cujus humanitatis monumentum habeo ejusdem *Observationes in Willeramii Abbatis Veterem Paraphrasin Francicam Cantici Cant.* Librum suum de *Picturâ Veterum*, multis accessionibus locupletiolem, & novum Opus, quod *Catalogum Artificum* inscripsit, Editioni paratum habebat. Ut de *Lexicō Lingvæ vet. Saxon.* aliisque hujus generis nihil dicam. *Isaas Vossius*, ejus ex sorore nepos, nec dum redierat ex Angliâ. Amstelodamo Judæus quidam Lusitanus *Stephanum de Urbibus cum Notis*, eundem alius quidam, cui nomen *Perkelio*, ab *Holsteiniō* illustratum, ex nummis & marmoribus editurus est. *Kuperum*, Prof. Daventr. in diversorio Amstelodami nactus sum amicum. Is *Apotheosin Homeri*, quam nuper *Kircherus* primum publicavit, uberiori *Commentariō* elucidatum dabit. *Jac. Alting*, Groningensis Profess. Oriental. LL. & imprimis *Scriptorum Rabbin.* callentissimus habetur, ut vel ex nuperis ejus *Dissertationibus* constare potest. Sed nimis excrevit hæc *Epistola*, ideoque cæteros, quibus cum per reliquum *Itineris* notitia mihi intercessit, in aliam occasionem reservo. **Dab. 20. Maji.**
Anno 1671.

M. B. H.

CON

CONTINUATIO.

GRatam tibi fuisse recensionem doctorum
 Virorum, quibus cum in Itinere notitia
 mihi intercessit, lubens intellexi. Sumptâ
 hinc fiducia, reliquum viæ nunc decurram.
 Belgicis Provinciis ne statim patria nobis
 repetenda, Daniæ, Sveciæque debemus.
 Istuc tendentibus Brema nobis Urbs ade-
 unda, indeque Hamburgum. *Henr. Meyer,*
 Consul Bremensis, inter primarios, qui Stu-
 dium Rerum Naturalium colunt, inprimis
 exoticarum & Antiquitatis Nummaria refer-
 ri meretur, de quo Cimeliarchum ejus, quod
 mihi patefcere voluit, abundè testatur. Lis-
 dem Musis insigniter litat clariss. Medicus &
 Reipubl. Hamburg. Physicus, *Mart. Fogelius,*
 qui post alias Regiones Italiam potissimum
 haud obiter perlustravit, virorumque hinc
 inde celeberrimorum amicitias sibi compa-
 ravit, publicè meditatatur Historiam Lyceo-
 rum (nostri credo, decantatam illam Romæ
 Societatem) atque alia non detrivio petita.
Esd. Ezard stupendam prorsus humanita-
 tem expertus sum: nulli quidem is muneri
 publico alligatus est apud Hamburgenses,
 sed tamen Licentiati Theol. titulum studio
 Lingvæ S. profundiori, literarum Rabbini-
 carum eximie tuetur. Ejus Consensum Anti-
 qvitatæ Judaicæ circa quædam loca, V. T.
 de **CHRISTO** vaticinantia, haud ambigo
 docum tibi visum. Non mihi judicium
 sumo.

sumo de hoc genere Studiorum, qui ne tyronum fortè numero haberi possim, sed, nisi me omnia fallunt, qui diligentius versatus sit in rarissimis & reconditissimis Hebræorum scriptis, præsens ætas neminem habet, nec acriorem ullum antagonistam Judæi, quorum jam plures CHRISTO aggregavit. In Daniæ Metropoli compellavi Reverendiss. Episcopum *Jo. Wandalinum*, loco muneris natus Opus ejus de *Jure Regiô*. Post illum *Vitus Beringius*, Regis Historiographus, *Thomas & Erasmus Bartholini*, Fratres, Medicus ille, hic Mathematicus, inter potiora Daniæ lumina meritò recensentur. *Olai Wormii* (cujus Musæum Rerum rariorum in Regiam translatum est) Filius, *Wilhelmus*, Medicus, quem Polyhistorem quoque fama facit, regiæ Bibliothecæ curam nunc gerit. Nec præterire hic possum hominem quendam, cujus eruditio scintillæ sub cineribus sepultæ, vel gemmæ pretiosæ, inter simeta jure suo comparetur. Nomen ille *Theod. Petrejo*, peritiâ Linguarum Orientalium & abstrusiorum quidem, ut Arabicæ, Armenicæ, Copticæ, planè singularis, quam sibi, dum adiret Orientem, paravit. Hujus & *Niceli* cujusdam studio quarundam Epistolarum Apostolicarum versiones Æthiopicæ, ni fallor, & Arabicæ prodierunt in Belgio. Prodiit & Catechismus Armeniæ, quem *Petrejus* ab Armenico Sacerdote nactus, Amstelodami, typis Armenicis,


eis, cum Latina Translatione dedit in lucem.
 Rariora tamen sunt, quæ adhuc premit,
 nunquam fortassis editura. Hominis istius
 si habitum spectes & incessum, imò totam
 vitæ consuetudinem (quam ab aliis didici)
 sordida sunt omnia, nec quicquam svavita-
 tis, dignitatis, vel decori habent. Aedes &
 convictus, quibus utitur, parum quoque
 audiunt honestè. Non semel clariss. Viro-
 rum literis compellatus est, quibus præter si-
 lentium nihil reposuit, velut ipse mihi fate-
 batur. Quid enim his communicaret tot
 sudoribus, impensis ac periculis sibi acquisi-
 ta? Quid pecuniam in tabelhiones expende-
 ret? Irent ipsi, harumque rerum notitiâ in a-
 dipiscerentur. Ita scil. egregiè ratiocinatus
 est. Triduum effluxit, antequam, ubi mo-
 raretur hic lucifuga, potuerim comperire.
 De Sveciâ autem gloriosius fortassis mihi
 fuerit omnino tacere, quam ut dicam, me se-
 ptimanas aliquot in eâ vixisse, nec tamen vi-
 disse Upsaliam. Sed facilem mihi veniam
 ab eò polliceor, qui norit, alienò arbitrato
 tempora mea dispensata, non mediocri va-
 riæ cognitionis iacturâ. Hæc imprimis loci
 ægerrimum mihi contigit, amicitiiis Locce-
 nii, Scheferi, aliorumque Clariss. Virorum
 inhianti, nec non & scopum Societatis illius,
 erudiendis Antiquitatibus Gothicis institu-
 tæ, penitus noscere cupienti. Eorum, quæ
 Holmiæ rarioris Literaturæ famam susti-
 nent.


nent, nobilis quidam est, nomine *Sternheim*.
 Reduces è Borealibus Regnis Ducem Hol-
 satia Linea Gottorpio-Slesvicensis invisue-
 runt Principes mei. Eximium ille Virum à
 Consiliis habet, & simul à Bibliothecis,
Marqu. Gudium, qui rarâ peregrinantium
 felicitate in Itinere Gallicò, Italico, plurima
 selectissima Manuscripta tam Græca, quàm
 Latina convasavit, & magnam partem hu-
 jusmodi, quæ nec impressa hæcenus sunt, nec
 in aliis Europæ Bibliothecis crebrò compa-
 rent. Veterum Inscriptionum Romanarum
 pene tria millia collegit, quæ apud *Gruterum*
 & alios recentiores frustra quæsieris. Quod
 si legisti, vel vidisti *Ezech. Spanhemis*, Dissert.
 de Usu & Præstantia Numismatum antiquo-
 rum, quæ primum Romæ, & non ita dudum
 auctior apud Elzevirios prodiit, hanc ipsam
 scias occasione Literati cujusdam & Amicū
 certaminis, inter *Spanhemium* & prædictum
Gudium Romæ habitū, concinnatum fuisse.
 PRIOR enim contendit, *majorem usum presta-
 re Rebus antiquis & Historiis illustrandis Num-
 SMATA VETERA.* GUDIUS laudis hujus præro-
 gativam retulit ad INSCRIPTIONES, quæ in Mar-
 moribus aliisque Rebus extant. Num verò hic
 simili conatu assertionem suam firmaturus
 sit, ut *Spanhemio* factum, nec dum satis scio,
 magis optandum, ut MSS. sua publi-
 ci juris aliquando faciat, velut jam ante
 plures annos cœpit, edico vetustiss. Pa-
 tris

tris Hippolyti Martyris, Græcò Librò de AN-
 TI-CHRISTO non supposititio, qvalis in Bi-
 bliotheca PP. legebatur, sed verò & genuinò.
 Per reliqvum Itineris in patriam usque nul-
 libi moram fecimus, præterqvam in Aulis
 Cellensi & Gvelpherbytensi, in qua posteriori
 jucundissimum mihi fuit Augustam Iustrare
 Bibliothecam, Principis quondam verè Au-
 gusti, regiis planè sumptibus adornatam, tot
 inter memoranda illud ego potissimum cen-
 seo, quod ipse Dux quatuor vel quinque va-
 stæ molis Catalogos sua manu confecit. Bi-
 bliothecario, si de publico benè merendi stu-
 dio teneretur, per ampla hîc esset occasio,
 neqve Dux intercederet opinor, ex MSS. ali-
 qua vulgaturò. Sed hominis ingenium
 non omnino mihi satisfacit, qvî jacturam
 interpretatur Bibliothecæ, si quid inde lu-
 cem aspiciat, &c. Die 5. Maji,

Anno 1674.







155750


ULB Halle

3

005 397 774



ULB 17



Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



4
HOPFFERI,
quondam P.P.
eberrimi,
ARUM

ditis suis PRINCIPP
renis ac summe emi-
GRINATIONE,
Consanguineum,
A. & A. B.
cripta,
oque communicata

HEKELIO,
Litteratorum
AUMIANIS ad se
litteris,
NA curâ
is, p. 44. illius facta
s suis eandem
rimi.

DRESDÆ,
HEKELIUM,
c. XCVIL

